



(*Omissis*). — I. — FACTI SPECIES. — 1. — Rev.dus Marcus, anno 1961 natus, mense decembris 1988 accusatus est de criminibus contra sextum decalogi praeceptum cum duobus pueris patris mense octobri 1987, seu quinque mensibus post sacerdotalem ordinationem receptam.

Sacerdos sua crimina confessus est, uti constat ex peritali relatione Instituti Y, in qua et legitur ipsum ante ordinationem aliquas habuisse relationes turpes cum aliis viris, non autem cum iuvenibus (p. 5).

« Il Rev. M. è venuto per una chiara comprensione della dannosità di certi comportamenti passati. Egli appare pienamente impegnato a fare qualsiasi cosa sia necessaria per prevenire il loro ripresentarsi... Quindi noi pensiamo che il suo rischio di ricaduta sia molto basso e la sua prognosi riguardo al suo comportamento sessuale disordinato sia buona » (p. 22).

Tribus vicibus Exc.mus Episcopus sermonem habuit cum Rev.do Mario ac postea tria decreta ratus est emittere, quibus:

a) sacerdotem impeditum esse declaravit ab ordinibus exercendis, ad normam can. 1044, § 2, n. 2;

b) ei suspensionem ad tempus indeterminatum irrogavit;

c) ei praeceptum poenale imposuit ad normam can. 1319, § 1, vetans omne ordinis exercitium sub poena etiam dimissionis e statu clericali.

Statuit denique aliquas provisiones pro sustentatione sacerdotis ipsius.

Remonstratorem fecit sacerdos coram Exc.mo Episcopo sed incassum, et ita recursum hierarchicum interposuit ipse apud Congregationem pro Clericis sub die 17 iulii 1990.

Congregatio vero, ulterioribus notitiis acceptis ab Exc.mo Episcopo et a recurrente, die 29 aprilis 1991 confirmavit declarationem impedimenti et provisiones factas quoad sustentationem et invalida declaravit decreta quibus Episcopus poenam suspensionis sine termino et praeceptum poenale imposuerat.

Sero accepta notitia *integri* decreti Rev.dus Marcus recurrit ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae.

Questione rite discussa inter Cl.mum recurrentis Patronum, Cl.mum Patronum Congregationis pro Clericis, Cl.mum Patronum Exc.mi Episcopi et Rev.mum Iustitiae Promotorem deputatum, in Congressu diei 21 ianuarii 1995 decretum est: « Circa impugnatas provisiones ad sustentationem recurrentis quod attinet, necnon circa assertas violationes legis in procedendo relate ad decretum impugnatum, quo recurrens impeditus declaratus est ab ordinibus exercendis, recursus non admittitur ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis Patribus Iudicibus, quatenus ipse manifesto caret fundamento. Quoad assertas violationes legis in decernendo idem decretum respicientes, recursus admittitur ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis Patribus Iudicibus, quatenus non constat ipsum quolibet fundamento carere » (p. 161).

Die 11 martii 1995 ad dubii concordationem perventum est sueta formula: « An constet de violatione legis in decernendo relate ad actum Congregationis pro Clericis diei 29 aprilis 1991, et quidem sulummodo quatenus eodem actu recurrens impeditus confirmatur ab ordinibus exercendis ».

Auctis nunc actis, iussu huius Supremi Tribunalis, novis probationibus, proposito dubio respondendum est.

II. — IN IURE ET IN FACTO. — 2. — Ad rectam factorum intellegentiam duo praemittenda tenemus.

a) Obiectum disceptationis in casu, seu recursus, est decretum Congregationis pro Clericis quatenus confirmat recurrentem impeditum esse ab ordinibus exercendis et solummodo quod attinet ad legis violationem in decernendo.

Per se nec decretum Exc.mi Episcopi qua tale nec violatio legis in procedendo Nostro examini subiicienda sunt.

Et ideo nec exilis vel confusa vel etiam parum accurata motivorum expositio sufficit ad violationem legis invocandam, dummodo in actis haec existant argumenta et decisio his freta sit argumentationibus.

b) Iterum atque iterum severe declarare censuerunt Infrascripti deordinatam agendi rationem in re sexuali non necessario nec semper repetendam esse ex mentali infirmitate vel defectu ita ut numquam sermo fieri possit de morali responsabilitate vel gravi culpa, sed singulis in casibus, omnibus considerandis pensatis, iudicium ferendum esse. Immo etiam cum persona infirmitate psychica affligitur, eidem manet obligatio gravis adhibendi pro viribus omnia media licita ad sese curandam et deordinatos actus in re sexuali evitandos.

3. — Edicit can. 1044, § 2, n. 2 quoad exercitium ordinis: « Ab ordinibus exercendis impediuntur... qui amentia aliave infirmitate psychica de qua in can. 1041, n. 1 afficitur, donec Ordinarius, consulto perito, eiusdem ordinis exercitium permiserit ».

In can. 1041 statuitur: « Ad recipiendos ordines sunt irregulares: 1) qui aliqua forma laborat amentiae aliisque psychicae infirmitatis, qua, consultis peritis, inhabilis iudicatur ad ministerium rite implendum... »

Quid autem ministerii vox innuat atque comprehendat ex can. 1008 deduci debet. In praefato canone legitur: « ...sacri ministri, qui nempe consecrantur et deputantur, ut pro suo quisque gradu, in persona Christi Capitis, munera docendi, sanctificandi et regendi adimplentes, Dei populum pascant ». Eodem modo, in can. 256, § 1 agitur de « ...iis quae peculiari ratione ad sacrum *ministerium* spectant, praesertim in arte catechetica et homiletica exercenda, in cultu divino peculiarique modo in sacramentis celebrandis, in commer-

cio cum hominibus, etiam non catholicis vel non credentibus, habendo, in paroecia administranda atque in ceteris muneribus adimplendis ».

Sacrum igitur ministerium adimplere non postulat unam sacramentorum celebrationem sed et insuper requirit ut muneri docendi et regendi satis fiat.

In hac provincia, sua vice, vox « rite » idem sonat ac iuxta normas, quae normae non tantum rituales considerandae veniunt sed illae omnes quae exercitium trium munerum regunt.

Et ita in Codice Nostro vox « rite » quinquagies habetur et ea fere semper utitur cum sermo non sit de sacramentorum celebratione. Adsunt nimirum canones qui spectant ad officia ordinis diaconatus *rite* adimplenda (can. 236), integram doctrinam catholicam *rite* annunciandam et tuendam in ministerio exercendo (can. 252, § 1), obligationes statui presbyterali proprias *rite* adimplendas (can. 384), officia in curia vel tribunali *rite* adimplenda (cann. 473, § 2 et 1454), munus catechistae *rite* explendum (can. 780), etc.

Ex infirmitate psychica scaterere potest inhabilitas ad ministerium « rite » implendum sive agatur de munere docendi, sive sermo sit de munere sanctificandi vel regendi.

Una debet esse causa, seu infirmitas psychica, diversimode vero intelligi potest et debet, quandoque, argumentum vocis « rite » prout de uno vel altero elemento sacri ministerii agatur.

Clerici qui contra sextum Decalogi praeceptum cum minore deliquerunt, certis in edijunctis — iterum dicimus — ideoque non semper, inhabiles haberi possunt non quia immoralialia patrauerunt — extra controversiam est iudicium morale quoad subiectum non valere in praesentiarum —, sed quia eorum agendi ratio signum esse potest existentiae alicuius mentalis deordinationis vel gravis mentis perturbationis. Nec sufficit diagnosis circa aliquam infirmitatem, uti s.d. « ephrophiliam » seu impulsu sexualem erga adulescentes; videndum est de gravitate infirmitatis, de eius effectu in sacerdotem eiusque ministerium, de exitu therapiae peractae, de mediis adhibitis ad effectus infirmitatis limitandos, etc.

Iudicium autem ad rem proferre non peritorum est sed unius Episcopi qui, consultis quidem peritis, ceterisque adiunctis serio pensatis (cfr. can. 1579, § 1), ad conclusionem legitime pervenire potest.

Qui Episcopus, si postea res in melius se verterit, potest exercitium ordinis denuo permittere.

4. — Tenet in casu recurrens Congregationem pro Clericis legem violavisse in decernendo eo quod:

a) neglexit prorsus peritale relationem, diei 18 februarii 1990, in qua edicitur sacerdotem conscius fuisse gravitatis patrati facinoris et periculum relapsus, adhibitis debitis cautionibus, leve esse;

b) veritati haud respondet recurrentem, die 23 iunii 1990, contra vetitum Episcopi, voluntarium occursum habuisse cum puero quo abusus erat, dum e contra Congregatio ipsa huic facto grave tribuit momentum pro ferenda decisione.

De his duobus nunc agendum est.

5. — Cum Congregatio pro Clericis occursum et colloquium inter Rev.dum M. et puerum X., quamvis locum habuisset post Exc.mi Episcopi decretum, aestimaverit argumentum pro confirmatione decisionis Exc.mi Episcopi (p. 70), de hoc praeprimis agendum est.

Prius violationem mandati Episcopi curiae retulit Rev.dus A., parochus S. Pauli, in vico v.d. « B. », ubi domicilium habent adulescentes quibus Rev.dus M. abusus erat. Qui et ad-

dit puerum valde turbatum fuisse ob colloquium ita ut festinanter suam peteret domum (p. 38).

Ex mandato huius Supremi Tribunalis testes sex interrogati sunt, quorum quattuor de praesentia Rev.di Marii fidem fecerunt, duo, vero, mater et avia adulescentis de colloquio deque pueri commotione testimonium dixerunt.

A quibusdam testibus insuper insinuat non una vice hoc accidisse.

Rev.dus vero M. suam confirmavit praesentiam occasione nundinarum paroecialium et forsitan etiam colloquium cum puero habito, quandoquidem solummodo negat factum evenisse prout a Curia declaratur. Scribit enim ipse: « Lasciatemi rispondere che nel fare ciò è molto chiaro che per voi qualche contatto o conversazione, come voi asserite, non ebbe mai luogo. I dettagli che voi scrivevate alla signora Z. sono stati fabbricati. Chi e perché l'abbia fatto, non lo so... » (p. 47).

Quae cum ita sint, nullum adesse potest dubium saltem de gravi sacerdotis imprudentia, ideoque culpa seu omissione debitae diligentiae, cum neglexerit ipse et mandatum Episcopi et praeceptum medicorum a curis.

6. — Sed tenet recurrens Episcopi decretum et Congregationis confirmationem, haud congruere cum voto periti, diei 28 februarii 1990, penes quod sacerdos ministerium rite exercere potest, adhibitis quidem necessariis cautionibus.

Ad rem et haec animadvertenda sunt:

a) Uti pluries edictum est ac Codex statuit: « Iudex, non peritorum tantum conclusiones, etsi concordēs, sed cetera quoque causae adiuncta attente perpendat » (can. 1579, § 1).

b) Iam enumeratio cautionum adhibendarum ostendit quam difficilis sit conditio infelicis sacerdotis: relapsus periculum minuitur sed semper manet. Scribit enim peritus: « ...il suo rischio di ricaduta è basso » (p. 22), ideoque haud deficit.

c) Scribit insuper peritus: « Il Rev. M. è venuto per una chiara comprensione della dannosità di certi comportamenti passati ».

Quae vero acciderunt in pago B., de quibus iam locuti sumus, minime probant Rev.dum M. clare intellexisse naturam suarum damnosarum praeteritarum actionum nec voluntatem firmam vitandi occasiones omnes ostendunt.

Iure meritoque Congregatio pro Clericis magnum tribuit momentum huic casui, cum confirmandum censeret decretum Exc.mi Episcopi.

d) Aliis et paucis verbis, Congregatio:

— voto periti perpenso conclusionem innixam habet in infirmitate recurrentis — factum certum — non in genere spectata sed in concreto casu expensa;

— prae oculis habuit gravitatem adhibendarum cautionum quae, iam ex sese, bonam spem angustis quidem limitibus circumscribunt, nisi dicere velis, in concreto, easdem cautiones rem impossibilem postulare;

— confirmationem, eamque gravem, Exc.mi Episcopi decisionis, seu declaratae inhabilitatis sacerdotis, in rebus quae postea acciderant invenit.

Nec valet bonam invocare fidem, eo quod, hac admissa, res in peius vertitur, cum clare, hac in hypothesis, emergeret sacerdotem nondum conscientiam habere gravitatis praeteriti facinoris patrati.

7. — Cum igitur nihil inveniatur quod ostendat Congregationem pro Clericis legem violavisse, tuto concludi debet pro recursus reiectione.

III. — CONCLUSIO. — 8. — Quibus omnibus in iure et in facto sedulo examinatis ac

cribratis, Em.mi et Exc.mi Iudicis, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, proposito dubio respondendum censuerunt uti respondent:

Negative, seu non constare de violatione legis in decernendo relate ad actum Congregationis pro Clericis, diei 29 aprilis 1991, et quidem solummodo quatenus eodem actu recurrens impeditus confirmatur ab ordinibus exercendis. (*Omissis*).